



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

41. An extrahentes mercimonij causa in magna quantitate frumentum,
oleum, blada, legumina, & alia ex statu Ecclesiastico incidant in censuram
Papæ reservatam? Et explanatur, quæ sit magna quantitas ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

potest talis appellatio fieri absque alia scissura, & divisione à capite Ecclesiæ, unde mors animæ incurritur debet illi juri cedere. Adde, quod talis possessio cum animi submissione instare, & rogare, ut causæ cognitio ad aliquod Tribunal differatur: vel ab ipsomet Papa malè informato ad benè informatum appellare cum debita humilitate, & reverentia: aut certè habere debet patientiam, & suam causam Deo committere tuendam, perinde, ac si injustè pateretur à Summo suo temporali Principe. Ceterum si in iustitia esset evidens; posset aliqua excusatio esse ab obedientia. Et ita hæc omnia docet Reginaldus, loco citato, & alij.

RESOL. XLI.

An extrahentes, mercimonij causa, in magna quantitate frumentum, oleum, blada, legumina, & alia de jure Ecclesiastico, incidant in censuram Papæ reservatam?

Et explanatur, quæ sit magna quantitas in prædicto casu.

Et an, si quis extraheret panem coctum, incidat in hanc censuram?

Et quid, si extrahat farinam?

Et an sub nomine olei comprehendantur olea, ex quibus ipsum oleum conficitur? Ex part. 9. tract. 8. & Misc. 5. Resol. 43.

§. 1. Respondeo affirmativè, & relinquendo alias Bullas Pontificias, ita habetur in Bulla Urbani VIII. 12. Kalend. Novembr. 1624. quæ incipit: *Superius*. Dixi mercimonij causa: nam certum est non esse prohibitum prædicti Bullæ Urbani VIII. extractionem illarum rerum, quæ in Bulla exprimuntur, factam occasione se, suamque familiam alendi, vel ob alium quemcumque finem, præter mercimonium, tamen si in magna quantitate: ut constat ex illis verbis, mercimonij causa, dispositionem restringentibus. Dixi in magna quantitate: nam hæc semper requiritur ad peccatum mortale: & excommunicationem majorem incurrendam. Quæ autem in prædicti sit magna quantitas, non est facile definire. Alij asserunt illam esse censendam, quæ deservire potest in sustentationem familiæ pro tribus, vel quatuor diebus. Alij, quæ à tribus equis deferri nequit. Sed rectius Bonacina tom. 3. de Censur. disp. 2. q. 3. punct. 42. num. 13. arbitrio prudentis decisionem remittit, credens quantitatem quæ uno equo deferri potest modicam esse. Vide etiam Filliucium tom. 1. tract. 15. cap. 7. num. 162.

2. His suppositis, adfunt aliquæ difficultates: & ideo primo quæro, an dicta excommunicatio sit Papæ reservata? Negativè respondet Bonacina tom. 3. disputat. 2. quest. 3. punct. 24. num. 16. Sed ego puto, quod esto reservata non sit expressè in Bulla Urbani VIII. at tacitè, & implicite reservatur, quatenus prohibet extractionem, & delationem prædictarum rerum sub pœnis, & Censuris contentis in Bulla Gregorij XIII. & Pauli V. At Censuræ ibidem contentæ reservatæ erant; ergo latè in Bulla Urbani reservatæ censendæ sunt: aliàs non esset prohibitio sub eisdem pœnis, & Censuris, sed sub diversis, uti docet Filliucius tractat. 15. cap. 6. questione 7. num. 147. in fine. Sed quicquid sit de hoc, certum est ex consuetudine, & stylo Curie hanc excommunicationem esse Papæ reservatam; ut notat Pater Thesaurus in Praxi, part. 2. vers. Annona cap. 4. & Leone de Censur. Recoll. 4. litt. E, verb. extrahentes. Tom. V.

3. Quæro secundò. An si quis extraheret panem coctum, incideret in hanc Censuram? Et affirmativè respondet Filliucius tom. 1. tract. 15. cap. 6. num. 158. Primò, quia prohibetur extractio frumenti propter panem ex eo conficiendum. At propter quod unumquodque tale, & illud magis. Authentica *Multo magis*, Cod. de sacrosanct. Ecclesiæ. Item frustra exprimitur, quod tacitè subauditur, leg. non rectè Cod. de fidejuss. At prohibito frumento tacitè subauditur panis: ergo, &c. Item connexum idem est iudicium, leg. cum actum. Digest. de neg. gest. &c. Translato de Constitutionibus. Sunt autem panis, & frumentum connexa. Ergo, &c. Sed Ego adhuc negativè sententiæ, quam tueri in terminis Castrus Palaus, tom. 6. disputat. 3. punct. 30. num. 23. & docuit Bartolus in leg. qua felicit, §. illud, ff. de legatis 3. ubi inquit appellatione materiæ non venire materiæ, hoc est ex materia confectum: cui sententiæ favet lex, sicut lana, Digest. eodem titul. dicens lanæ appellatione non venire lanam nequam, id est, in filum redactam. Ergo multò minus veniret tela ex lana confecta. Ergo sub nomine frumenti non venit panis, utpotè ex frumento confectus. Et ratio omnium est, quia panis esto ex frumento conficiatur, à frumento specie differt uti communis tradit sententia, quod in farina non procedit. Ergo sub frumento comprehendi non potest, maxime in lege pœnali, ubi strictior interpretatio faciendæ est. Præterea extractio panis regulariter obstat non potest graviter fini à Legislatore in hac lege intento, utpotè quæ annonæ caritatem vix inducere possit, cum difficile sit in magna quantitate extrahi, & diu conservari. Et hanc sententiam in ordine ad incurfionem Censuræ, probabilem putavit Filliucius loco cit.

4. Quæro tertio. An extrahentes farinam incidant in hanc Censuram? Et affirmativè respondet Azorius 1. part. Institut. moral. lib. 5. cap. 26. questione 2. Et ideo Narbona lib. 6. titul. 2. leg. 14. gloss. 1. num. 41. Gutierrez in questionibus practicab. libr. 4. quest. 44. per totam. Maceratenfis var. libr. 2. resol. 13. num. 12. Bobadilla in pol. lib. 3. cap. 3. num. 55. Mexia in pragmat. Taxa panis, conclusio. 4. num. 2. asserunt, quod prohibitus vendere frumentum extra territorium non poterit vendere farinam, aut panem; quia in talibus non verborum sonus, sed effectus attenditur, secundum Nicolaum Boërium in decision. 77. num. 5. Albericum in 2. part. statut. question. 10. Franc. Marcum, decision. 540. numer. 2. & Guido Papa in questione. 373. dicit, pluries per parlamentum Delphinatus ita judicatum fuisse, & latè probat Alexander Imola in consil. 130. incipienti, super eo, de quo quæritur, an Fideles, 1. colum. volumin. 6. Quod probatur: nam ratio prohibitionis Pontificiæ, ne extrahatur frumentum, militat etiam in extractione farinæ; & ideo una debet esse de illis dispositio; ut patet ex leg. illud, Digest. de leg. Aquil. leg. à Titio. Digest. de verbor. obligat. Et ita concludit Baldus in leg. non dubium 4. colum. num. 10. Cod. de legibus, & Anchianus in cap. Canonum statuta, de Constitution. vers. lura prædicta congruè; quicquid idem velit ipse Baldus in leg. si convenerit, §. fin. Digest. de pignor. actio. & in lege, quod non ratione, in 1. lect. ff. de legib. ubi tamen censet, aliud non esse materiæ à materia, quando fit in fraudem statuti. Facit, quod notat Bertachinus in tractat. de Gabellis in 21. questione. 2. particule, parte princip. Sic vel ex eadem ratione, ne fraus fiat legi, quodque eadem inest ratio, prohibiti incidere ligna in certa Sylva, & asportare, non poterunt ligna quæ reperiuntur incisa, vel collapsa asportare: Textus est, & ibi not. Bartolus in leg. 2. Cod. de curress. lib. 12. Nec si objiciatur, obiter, quod appellatione

frumenti non contineatur farina, ex quo frumenti potentia per mutationem in farinam adeo victa sit, quod ad suas vires, suaeque initia amplius reverti non possit, leg. Julianus, §. si quis ff. ad exhiben. l. quæstum, §. illud ff. de legat. 3. ubi ita determinat Dinus, quem sequitur Albertus Gaudinus in rr. maleficiorum in rubr. de reb. non portant. contra de vell. quæstione 4. versic. Item pone. dicens, ita fuisse iudicatum Paduæ. Quodque statutum pœnale, & odiosum, extendendum non sit, regul. odia, & regular. in penis, de regular. iur. in 6. Nam licet ex proprietate vocabuli, appellatione frumenti non contineatur farina, & si legatum sit frumentum, non censetur legata farina, secundum Baldum in leg. 1. collect. 3. Cod. de fructibus, & iur. expens. & Bartolus post glossam in dist. 8. illud, ex mente tamen statuentium, extenditur ad farinam: quæ mens non minus observanda est, quam verba, leg. nominis, & rei, §. verbum ex legibus, Digest. de verb. signific. Unde ex his omnibus Ego puto, extrahentes farinam de Statu Ecclesiastico in pœnas latas ab Urbano VIII. incidere. Et hanc sententiam tenent Filliucius, & Castrus Palaus, ubi supra, & rectè non negat contrariam sententiam esse probabilem, nempe non venire farinam sub frumento prohibitam, quod docet Baldus in leg. 1. Cod. de fructibus, & iur. expens. & leg. non dubito Cod. de legibus, Albeficus, & alij quos citat Azorius ubi supra. Ergo sub prohibitione extrahendi frumentum, farina comprehendendi non debet. Non enim lex pœnalis, & odiosa extendenda est ultra verborum proprietatem.

5. Et tandem quærd quæro, An sub nomine Olei, cuius extractio ab Urbano in hanc Bullam prohibetur, comprehendantur oleæ, ex quibus ipsum conficitur? Et ad hanc quæstionem sic respondet Filliucius, ubi supra, tom. 1. tractat. 15. capit. 6. num. 158. Dubium est de oleo; an prohibito oleo, etiam prohibita sit extractio olearum? Et respondendum videtur pro parte affirmativa: quia sub nomine olei, quod fit ex oleis, proxime continentur etiam oleæ. Paria autem sunt aliquid proprio nomine significare, vel aliter demonstrare, leg. certum Digest. si cert. per. Item paritas rationis inducit paritatem dispositionis, leg. Titio, Digest. de stipul. leg. illud, Digest. ad leg. Aquil. Par autem ratio videtur esse olei & olearum, ex quibus proxime fit oleum: sunt tamen ex viris doctis, qui distinguunt. Si enim oleæ extrahantur ad oleum faciendum ex eis, haud dubium est intelligi prohibitas sub oleo. Si verò extrahantur ad comedendum eas, vel sale condiendum, ut postea ita comedantur, sic non intelligi prohibitas; tum quia hæc non sunt proxima materia olei, sed remota, utpotè acerbæ, nonnisi post aliquot menses aptæ ad exprimendum oleum; tum quia hæc solent esse in exiguo numero, nec afferre propterea caritatem annonæ. Atque hæc sententia probabilis est, quia benignius interpretatur legem pœnalem, alioqui in rigore dicendum esset cum primo. Hucusque Filliucius.

6. Ego verò cum Castro Palao tom. 6. disputat. 3. punct. 30. num. 23. puto sub hac censura, & prohibitione Urbani VIII. non comprehendì olearum extractionem, sive maturæ sint, sive acerbæ, sive ad comedendum, sive ad faciendum oleum extrahantur. Ducor, quia oleæ ab oleo specie differunt. Ergo prohibita olei extractio, non est censenda prohibita olearum extractio, quia constitutio pœnalis ultra proprietatem verborum extendenda non est. Præterquam quod in olearum extractione non procedit eadem ratio, ac in extractione olei. Quippe oleæ difficile in magna quantitate

extrahi possunt, & frequenter ad comedendum extrahuntur, raroque ad conficiendum oleum. Concedo tamen sententiam affirmativam Filliucij esse satis probabilem.

RESOL. XLII.

An in casu dubij possint Principes sine incurfione censurarum Bulla Censæ impedire, ne victualia extrahantur ab eorum Regnis ad Romanam Curiam?

Et notatur, quod in foro externo si impedimentum præstat a persona publica præsumitur iusto titulo oppositum esse, secus a persona privata. Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Ref. 17.

§. 1. **N**egative respondet noster Duardus in Bulla Censæ, lib. 2. can. 8. §. 10. n. 11. ubi sic ait: *Ad hanc Provinciam, aut Regni consensu, prohibendo ab illis victualia, & his similia à supradictis ejusdem loci extrahi; quamvis ex tali prohibitione sequatur, quod ad Romanam Curiam deferri non possint, nihilominus vi nostri Canonis non alligatur: quia hoc casu incidit tantum prohibetur dictorum bonorum delatio ad Romanam Curiam: eo quod per se primo utilitati Provinciarum, seu Regni, & eorum civitatibus consulitur, ut cum Cajetano, Navar. Vival. & aliis docet hic Sayr. lib. 3. Thef. cap. 12. n. 3. tom. 1. Bene verum est, quod jus, quo dicto casu Princeps utitur, debet esse clarum, saltem practice, nam, si quis in casu dubij vellet dispositioni dicti Canonis contraire, non excusaretur. Ita ille.*

2. Sed hanc opinionem impugnatur Castrus Palaus tom. 6. disp. 3. punct. 9. n. 6. nam citat à lege certa nequeas eximere ob causam dubiam, id verum est, cum pro lege est possessio: at stante possessione pro parte impediens, non videtur impediens ob causam dubiam se à lege eximere, sed ob causam certam. Præterquam quod, stante dubio, an possit Princeps impedimentum victualibus deferendis præstare, æquum non est, quod per legem ea potestate, erit dubia, spoliatur. Sicut non est æquum, quod ad jejunandum obligetur, qui dubius est, an 21. annum compleverit; quia stante dubio, stat pro ejus libertate possessio. Sed sententiam Duardi docet etiam Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. n. 64. Filliuc. tom. 1. rr. 16. c. 7. n. 156. & alij.

3. Notandum est tamen, quod in foro externo, si impedimentum præstat a persona publica, præsumitur iusto titulo oppositum esse, secus a persona privata, ut rectè notat Bonacina tom. 3. disputat. 1. quæst. 9. punct. 3. n. 2.

RESOL. XLIII.

An Pirata, seu Cursary non solum discurreres per mare Pontificium, sed aliam mariam, incidant in censuram Bullæ Censæ?

Et an Pirata in dictam censuram incurrant discurreres per mare Pontificium, si nullam depraedationem aliam exercent?

Et quid, si cum intentione depraedandi discurrant, si nullam depraedandi actionem exercent?

Et quid tandem dicendum est, si casu tantum navigantem depraedantur?

Et an depraedantes infidelium naves à Christianis occupatas incidant in censuram Bullæ Censæ? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Ref. 73.

§. 1. **C**asus est practicable in his calamitosis temporibus. Et quidem Grassius lib. 4. decis. c. 18. num. 53.